
ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI, ἀνθρώπινη καὶ λόγου, ID EST, Hominis & Rationis, Dialogus.


¶EIVSDEM SOLILOQVIA.
Opusculum, me Hercule, Christianæ pietatis vitæq; formam succincta ac commoda breuitate complectens: quantitate quidem paruum, verum infor mationibus sanctis, magno æstimandum.

¶Nunquam ante hac excusum.





COLONIAE,
Iohannes Praël excudebat
Anno. M. D. XXXII.



RELIGIOSAE AC PIAE IN CHRISTO CATHARInae Herrel, Dominae ac Magistrae, itemq́ venerandae Elizabeth Bestoltʒ Priorissę, nec non vniuersis castitatis puritate conspicuis virginibus, Monasterij Sancti Maximini in Colonia, filiab⁹ suis in Christo charissimis, Iohannes Volscius Luneñ. earundem Rector humilis, pietatem exoptat Christianam.



OLVENTI ORDINANtijq́ mihi, Religiosa in Christo Domina, veneranda Priorissa, ac vniuersae virgines charissimae, Rectorum vestrorum meorꝫq́ antecessorum Monasterio vr̃o varios successiue relictos libros, in manus meas obiter incidit, pulpito cuidã inclusus, in pergameno antiquissimis characteribus conscriptus libellus, cui Titulus est, Liber S. Isidori Ep̃i: in quo loquitur Homo & Ratio. Qui profecto libellus vt adparuit prima fronte abiectissimus, ita mihi penitius introspicienti, videbatur pientissimus, simulq́ elegantissimus. Quippe in quo veluti dialogo, duae personae, nempe Homo lamentans, & Ratio admonens salutifero fruuntur allogo. Praeter enim ingenuam hominis seipsum agnoscẽtis deplorantisq́ confessionem, nec non piam Christianamque Rationis ad optima hortantis admonitionem, luculentissimam, elegantissimã ac vberrimam in eo deprehendetis rerꝫ verborumq́ copiam. Cuius

rei vel solius gratia iniquissimũ fore duxi, si iste S. Isidori Epi in duo opuscula distinctus libellus, vestrarũ charitatum cæterorũq; pioꝝ & studiosoꝝ hoim diutius subtraheretur aspectui & lectioni. Ob admirandam etiã Christianę religionis frugem pietatẽq; quibus scatet, tametsi nullꝰ adesset verboꝝ lepos sermonisue venustas, in lucem tñ Enchiridij forma emitti, propter pia q̃ in eo continentur ad virtutẽ sectandã, hortamenta, mihi dignꝰ videbatur. Isidorus siquidẽ iste, Iunior cognominatus, Hispaleñ. post Leãdrum Epus, B. Gregorij Papæ discipulus, vir in diuinis scripturis eruditiss. & in secularibus literis nulli suo tpe secundus, ingenio subtilis, sensu clarus, eloquio cõpositus, non minus sanctitate ac miraculoꝝ varietate q̃ doctrina insignis effulsit. Cæteꝝ charissima in Christo domina ac virgines, nemo hominum sese mihi q̃ vestræ charitates, prius obtulit, cui decentius ac commodius hosce in vestris ędibꝰ reptos dicarẽ libellos. Quippe q̃ nedum in Regulę D. Aur. Augustini Antistitis vestri ac constitutionũ vestraꝝ diligenti obseruantia sitis occupatissimę, verũetiam in sacroꝝ atque adeo pioꝝ libroꝝ lectione attentissimę. Accipite itaque placido ac benigno vultu hosce duos S. Isidori Epi libros, vestro potissimũ auspicio è tenebris in lucem editos: atq; in mille exẽplaria per Io. Praẽl Suerteñ. vestrum vicinũ, Chalcographum, meo hortatu ac opera æneis typis excusos. Quoꝝ sanè assidua attentaq; lectione, procul dubio efficiemini meliores. Id q̃d vestris charitatibus pstare dignetur ille, qui est oim opt. maximusq;. Valete ex ædibus vestris S. Maximini. Coloniæ, Anno à Christo nato 1531. Idibus Decembribus.

IN OBITVM VENERABILIS AC EGREGII VIri, Domini Rutgeri Suederi Luneñ. Ecclesiæ ad gradus Mariç Canonici, & Monasterij S. Maximini in Colonia Rectoris, dũ vixit, vigilantiss. in cuius bibliotheca iste Isidori liber repertus est, A. V.

Epitaphium.

CVr lachrymas fundis tristi circundata palla?
Nõne aliquẽ defleş mœsta Camena virum?
Ah fleo Rutgerum Suederi scilicet illum,
Olim Lunensis quem generauit ager.
Qui magno caluit studio pietatis in omnes,
Quos miseræ vitæ tædia multa grauant.
Consilio vafrum, morum grauitate uerendum,
Quem iuuenis timuit, quem coluere senes.
Quam tenet inuictus nitidam Laurentius ædem,
Hanc vigili rexit sedulitate diu.
Illius ac ædis, gradibus quæ nomen ab altis
Seruat, Canonicus dignus honore fuit.
In qua diuini cumulauit munia cultus,
Et larga immodica præstitit æra manu.
Ornauit sacram dulci modulamine lucem,
Quæ deuotæ Helenes annua festa refert.
Sancti virginea Maxmini habitata cohorte
Septa gubernauit, Rector vbique vigil.
Et licet immani sęuiret fraude Lutherus,
Ipse tamen placida præfuit arte gregi.

En subuecta chori validis structura columnis,
Huius præcipuam testificatur opem.
Cui nisi Parca ferox rupisset stamina vitæ,
Altera pars templi iam reparata foret.
Non es rectorem talem visura secundum
Candida virginei turba sodalitij.
Ergo dum celeri tumulum pede comprimis, ora
Vt superis adsit mens sociata choris. +a.l. satiata

FINIS.



¶ISIDORI HISPALEN. EPIscopi in Dialogum suum ac Soliloquia, PRAEFATIO.

VENIT NVPER AD MANVS MEas quædam schedula quam synonymã dicũt: cuius formula persuasit animo quoddam lamẽtum mihi vel miserijs condere. imitatus profecto nõ eius operis eloquium, sed meum votum. Quisquis ergo es, libenter id perlege: & dum aduersitatibus mundi tangeris, teipsum censorio iudicio discute: & statim agnosces, quia quascunque afflictiones pateris in hoc seculo, retributione tibi iustissima inferuntur in futuro. Duorum autem personæ hic inducuntur, deflentis Hominis & admonentis Rationis.

Isido

ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI DIALOGVS.

HOMO.



NIMA MEA IN ANGVstijs est, spiritus meus æstuat, cor meum fluctuat, angustia animi affligit me, circundatus enim sum malis, circunseptus ærumnis, circumclusus aduersis, obsitus miserijs, opertus infelicitate, oppressus angustijs. Non reperio vspiam tanti mali perfugium, tanti doloris non inuenio argumentum, euadendæ calamitatis indicia non comprehendo, minuendi doloris argumenta non colligo, effugiendi funeris vestigium non inuenio. Vbique me infelicitas mea persequitur, domi, forisque me calamitas mea nõ deserit, vbicunque me conuertero, malorum meorum me vmbra comitatur. Vbicunque fugero, mala mea insequuntur, velut vmbram corporis: sic mala mea fugere non possum. Ego ille homo ignoti nominis, homo obscuræ opinionis, homo infirmi generis, cognitus pro me tantum, cognitus tantum mihi. Nulli vnquam malum feci, nulli calumniatus sum, nulli aduersus extiti, nulli molestiã intuli, nulli inquietus fui, sine vlla querela apud homines vixi. Vitam meam lædere homines nituntur, omnes contra me frendẽt

atq; insaniunt: conserta manu in me pericula ingerunt, ad exitium me protrahūt, ad periculum me adducunt, ad discrimen vocant meam salutem. Nullus mihi protectionem præbet, nullus defensionem adhibet. Nullus adminiculū tribuit, nullus malis meis succurrit, desertus sum ab omnibus. Quicunq; me aspiciunt, aut fugiunt, aut fortasse me persequuntur. Ĩtuētur me quasi infelicem, nescio quæ loquuntur mihi dolo verbis pacificis, occultam malitiam blandis sermonibus amant, aliud ore promunt, aliud corde volutant, opere destruunt quod sermone promittunt. Sub pietatis habitu animo venenato incedunt, velant malitiam fuco bonitatis, calliditate simplicitatem occultant. Amicitiam dolo simulāt, ostendunt vultu quod in corde non gestant. Cui credas, cui fidem habeas, quē fidei proximū sentias? Nullus habere fidem nouit, vbiq; iam fides perijt, fides ablata est, fides nusquam tuta est. Si legitimum nihil est, si veritas iudicij nulla est, si æquitas abijcitur, si ius non creditur, si iustitia cunctis negatur, pereunt leges auaritia iudicante, cupiditatis amore iura nihil valent. Prę mia & dona legibus vires tulerūt, vbiq; pecunia vincit, vbiq; venale iudiciū est. Nullis legibus metus, nullus iudicij timor est, impunita manet male viuēdi licentia. Nemo peccantibus contradicit, nec scelus vlscifcitur quisquam. Omne crimen inultum manet, iniqui salui fiunt, probi pereunt. Boni indigēt, improbi abundant. Scelerati potentes sunt. Iusti egent, iniqui lætantur. Iusti in mœrore & luctu sunt, iniqui honorantur. Iusti dejiciuntur, nulla re impediente, nulla cau

la causa,nulla criminatiõe,nulla malitia. Crimen mi hi obijciunt,crimen mihi impingũt, criminis nodos contra me nectunt, criminis & suspicionis locum in me conuertunt, in crimen periculumq; me deducũt. Obijciunt mihi crimen cuius non habeo conscientiam. Nihil exploratum est,nihil patefactum est, nihil inuestigatum est,nihil repertũ est. Non tamen quiescunt aduersum me mala confingere, non quiescunt falsa testimonia præparare, non desinunt accusatores obijcere,iudices non finunt conscribere. Testium & iudicum falsa & crudeli sententia iudicor, testium falsa sententia ad necem innocens ducor. Ex eodem concilio testes,ex eodem conciliabulo iudices,ex eodem cœtu accusatores. Improbos iudices opponũt, falsos testes obijciunt,iniquorum confidẽtia est. Nemo ab illis dissentit, nemo discordat, nemo consilium eorum repudiat. Cui dicam,quem adeam,à quo consilium petam,in q̊ animum meum ponam? Omnibus odiosus sum,omniũ charitate desertus sum. Proiecerunt me omnes à se, abominationem mei omẽs minantur. Inhorrescunt me omnes, repudiãt omẽs, abdicationem intendunt. Volo ad eos cõfugere, sed minantur. Cupio eorum deprecari vestigia sed fugiunt,aduersantur & odiunt. Supplicando propitios eos habere volo,illi autem magis molesti fiunt. Interdum se adiungunt ficta charitate,non ad consolationem,sed ad tentationem. Loquuntur:& si tacẽt, non est simplex silentium. Quęrunt qui audiant,quęrunt qui prodeant,explorant vnde decipiãt. Ego autem reclinato capite,humiliato vultu, deposita facie

fileo, taceo, in cœpto persisto silentio : Ori meo custodiam posui, ori meo signaculum dedi, vocem à sermone repressi, linguam à locutione restrinxi. Etiam de bono interrogatus taceo. Malui enim reticere, quàm improbis respondere. Illi autem non quiescunt, illi amplius sęuiũt, percussum amplius persequuntur. Magis magisq; irruunt super me. Obstrepunt etiam super me clamoribus, iactant in me petulanter conuitia, voce, ambitu, strepitu super me prosiliunt, in voce aperta, cõtumelias & opprobria super me iactant. Ab alio prouocati, ad me oẽs arma conuertunt, omnes in me sæuiunt, omnes in exitio meo intendunt, omnes in mortem meam manus suas pręparant. In tanto ergo metu, in tanto pauore, tãta formidine cõtabui miser: pallui miser: exanguis effectus sum: emarcuit cor meũ. Pauore ęstuo, formidinis metu tabesco: timor & tremor animã meã q̃ssauerunt. Si exilio transmissus sum, si exilio dãnatus sum, si exilij pœnam lugeo, si damnationem exilij gemo, vinculo seruitutis addictus, conditionis pondere pressus, seruili opere mancipatus, in algore, in niue, in frigore, in tempestatibus tetris positus, in om̃i labore, in omni periculo, post damna bonorum, post amissionem omnium rerum inops & pauper effect⁹, egeo, mendico, publicam posco alimoniam. Nemo egenti manum porrigit: omnes mendicantem spernunt: esurientem nec micis suis reficiunt. In hoc sitiẽti, nullus stillat guttam refrigerij, nullus mihi p̃bet vel modicum vndę rorem. Effectus sum enim cunctis abominabilis: omnes vt hulcerosum contemnunt, vt

fgentem expuunt,vt leprosum tangere horrent. Iacet caro adstricta ferro, Iacet pressa catenis. Iacet ligata vinculis. Iacet vincta compedibus. Nõ desunt tormenta,non desunt cruciamẽta,non sunt minus supplicia,q̊tidie crescunt in me sæuitia corporis mei. Carnifices nouis me carceribus lacerant, inaudito genere pœnarum viscera mea & membra dilaniant. Quicquid possunt,super me crudele excogitant. Mille pœnis extortus,mille subactus tormentis, mille laceratus supplicijs. caro mea plagis secta computruit,semiusta latera saniem fundunt, lacerata mẽbra putredinem defluunt. Cum fletib⁹ sanguis manat, cũ lachrymis cruor stillat:non est solus fluor lachymarum sed vulnerum. Cõsummatus sum in dolore miser,in dolore animus & corpus defecit, mens iam victa est,anima dolore præclusa est. Multa acerba sustinui,multa grauia pertuli: tam graue & crudele vulnus nunq̃ excepi. Inopinato vulnere oppressus sum, momentaneo interitu percussus sum,improuisum me in tantis malis calamitas vitę coniecit:ignorantem oppressit subito calamitas: repentini interitus casusq́ me subruerunt. Cur infelix natus sum? cur in hanc miseram vitam proiectus sum? Vt quid miser hãc lucem vidi? vt quid misero huius vitę ortus occurrit? Vtinã ocyus egrederer à seculo quamlibet fessus, quaq̃ iam ratione recederem. Cupientem mori iam liceret occumbere,viuendi enim mihi tædium est,moriẽdi votum,sola mihi mors placet. O mors quàm dulcis es miseris,quàm suauis o mors amarè viuentibus, q̃ iocunda es o mors tristibus atq; mœrentibus. Accedat

ergo

ergo ad vitæ magnum malum mortis grande solatium, de fine miseriæ requies sepulturæ: & si non vita, saltem vel mors misereri incipiat. Mors malorum omnium finem ponit, mors calamitati terminum præbet. Omnem calamitatem mors adimit. Melius est bene mori, quàm male viuere. Melius est non esse, quàm infeliciter esse. Ad comparationem miseriarum mearum, felicius esse esse mortuũ quàm viuentẽ. Parcite dolori meo quæso parcite, mœrori meo quæso ignoscite. Angustiæ meæ veniam date, indulgete meis doloribus. In tanto dolore contra me commoueri nolite. Percussionem meam plango, calamitatem meam deploro, familiarem cladem miseriæ meæ lugeo. Plura enim ministrat dolor, non valeo consolari miser. Impatiens est enim dolor meus, infinitus est mœror meus: nullatenus lenitur vulnus meũ, nullus lachrymis meis modus est, nullus doloris finis est, iam nulla fiducia est animi, iam ferre nõ potest animus, iam victus miserijs concidit animus.

RATIO.

Quid tantum diffidis animo? cur adeo mente debilitaris? cur animo tantũ cõfunderis? quare tanta pusillanimitate deijceris? quare in aduersis adeo frangeris? Omitte tristitiam, desine tristis esse. Tristitiam repelle à te, mœstitiæ noli succumbere. Noli te multæ dare mœstitiæ: repelle à corde dolorẽ, ab animo exclude dolorem. Inhibe impetum doloris, & non perseueres in dolore: vince animi dolorẽ, supera mentis dolorem.

HOMO.

Qua-

QValiter, quo pacto, quomodo, quemadmodum, qua ratione, qua arte, quo cõſilio, quo ingenio?

RATIO.

OMni opere, omni vi, omni arte, omni ratione, omni conſilio, omni ingenio, om̃i virtute, õmni inſtantia. Sume luctamen contra tẽporales moleſtias, eſto in cunctis caſibus firmus. Patienter tolera omnia, omnia aduerſa æquo animo tolera. Noli ſingularem conditionem tuam intendere. Nõ eſt ſola tua à te conſideranda calamitas, non eſt ſola tua à te penſanda acerbitas: reſpice ſimiles aliorum caſus, intende miſerias eorum quibus acerbi aliquid accidit. Dum tibi aliena pericula memoras, mitius tua portas. Aliorum enim exempla dolorem releuant, alienis malis facilius conſolatur homo. Quid incuſas acerbiſſima tua decreta? Quid cauſas tui periculi tantum luges? Nõ ſunt noua tua ſupplicia: habes exempla calamitatis. Quanti tales caſus, quanti talia pericula pertulerunt! Patienter ab vno ferendum eſt, q̃d multis accidit tolerabile. Pœna huius vitæ breuis eſt, & qui affligit & qui affligitur mortalis eſt. Tribulatio huius temporis finem habet. Trãſeunt omnia ſeculi huius nec p̃manent. omne quod venit ſtare non poteſt. Nihil eſt diu, nihil eſt tam longum quod non in breui finiatur. Habent ſub cælo finem ſuũ omnia. Impoſſibile eſt vt homo ſis, & non guſtes anguſtias. Dolor & triſtitia omnibus communia ſunt. Omnia euentu ſimili in hoc ſeculo ſuſtinemus. Nemo in perpetuum expers mali eſt; nemo eſt qui in ſeculo non

dole-

doleat: nullus est qui in hac vita positus, non suspiret malis. Interpone ergo tibi rationem, preualeat tibi ratio. Tempera animum ratione, vim tanti mœroris reprimat ratio. Confirmato animo nullum periculum pertimescis. Oportet nos per multas tribulationes introire in regnum dei: & non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Quod in præsenti est, momentaneum est & leue tribulationis in nobis, quod æternum est, supra modum est pondus excellens gloriæ. Vtilis est tribulatio, vtiles sunt vitæ huius pressuræ. Malorum prauitas non te occidit sed erudit: prauorum aduersitas non te deijcit, sed extollit. Humana tentatio arguit te, non interficit. Quanto enim in hoc seculo frangimur, tanto in perpetuũ solidamur: & quanto in præsenti affligimur, tãto in futuro gaudebimus. Si hic flagellis atterimur, purgati in iudicio inuenimur. Semper deus hic vulnerat, quos ad salutem perpetuam preperat. In fornace probatur aurũ vt sordibus careat: tribulationis camino purgaris, vt purior appareas: persecutionis igne conflaris, vt peccatorum sorde purgeris. Ad probationem sunt ista omnia quæ sustines. Non igitur murmures, non blasphemes, non dicas quare sustineo mala, sed magis dic, peccaui: vt eram dignus, nõ recepi. Aequalẽ vindictã peccati mei non sentio: minus me percussum q̃ merebar agnosco. Iuxta modum criminis minor est retributio vltionis, secũdum meritum peccatorum dispar est causa pœnarum: non sunt tanta supplicia, quãta extiterunt peccata. Qui enim in flagellis mur-

mu

murat, deum plus irritat, furorem dei amplius prouocat, iram dei indignantis plus sibi exaggerat. Qui vero aduersa tolerat patiēter, deum citius placat. Si enim vis purgari, in pœna te accusa: & dei iustitiā laucia. Ad purgationem tuam proficit, si ea quę pateris, ad iustitiam dei retuleris. si pro irrogata miseria, humilis deum glorificaueris. Corripit enim te deus, flagello piæ castigationis te arguit, exercet in te disciplinam, & qui parcendo te ad se vocabat, feriendo clamat vt redeas.

RATIO.

Cogita homo quoslibet mundi cruciatus, intende animo quascunq́ꝫ seculi pœnas, quoscunq́ꝫ tormentorum dolores, quascunq́ꝫ dolorum acerbitates: cōpara hoc totum gehennę, & leue est om̄e quod pateris. Si times, illas pœnas time. Istæ enim temporales sunt, illæ æternæ. in istis moriendo tormenta recedunt, illis moriendo æternus dolor succedit. Si em̄ conuersus fueris, emendatio est quod pateris. Conuersum nanq́ꝫ à peccatis, flagella absoluunt. conuerso instantes plagæ ad purgationem proficiunt. Qui enim hic castigatus corrigitur, illic liberatur. Qui vero non sub flagello corriguntur & temporali pœna, damnantur æterna: & in hoc prius iudicantur seculo, & illic denuo in futuro. Hic duplex damnatio est, gemina his percussio est: quia & hic habent initium tormentorum, & illic perfectionem pœnarum. Scito autem homo nullum tibi aduersari potuisse nisi deus potestatem dedisset: nec habuisset potestatem aduersarius, nisi permitteret deus. Vniuersa quæ tibi

accidunt,absq; dei non veniunt voluntate: iniquorũ potestas super te,ex dei datur licentia. Omnes qui tibi aduersantur,dei consilio faciunt. Manus dei te ad pœnam tradidit:indignatio dei te affligere iussit: ipse irritatus,iussit te mala omnia experiri. Nam & quod corporis debilitatibus frangeris, quod carnis morbis afficeris,quod languorũ stimulis cruciaris, quod passionibus animæ quateris, quod grassante impugnatione spirituũ agitaris, & hoc ipsum pro peccato tibi diuina iustitia irrogat. & ipsum pro culpa tibi iudicij diuini infertur sententia. Omnis enim aduersitas rerum,delictorum tuorum meritis excitatur:tua contra te dimicant arma. Sagittis tuis confoderis,telis tuis vulneraris. Per quæ enim peccasti, per hæc & torqueris. sequutus es carnem,flagellaris à carne. In ipsa gemes in qua peccasti:in ipsa cruciaris,in qua deliquisti:ipsa tibi est cẽsura supplicij, quę fuit causa peccati:vnde corruisti ad vitia,inde lues tormẽta. Discute conscientiam tuam,intende mentem tuam,examina te. Loquatur tibi cor tuum,considera meritum tuum:iuste argueris, iusto iudicio iudicaris. procella iusta te conterit,iustitiæ pœna te premit. Nihil enĩ bonum agis, nihil rectum, nihil æquum, nihil in te sancti est,nihil pudoris,nulla memoria dignitatis. Quotidie peccas,quotidie laberis, quotidie præceps in deterius vadis. Elatio tua non residet. Rapit te quoq; furor,inflammat ira,clamor excitat, commouet indignatio. Paratus semper ad iram,supra modum irasceris:supra mensuram animi furore moueris. Zelare bonis,inuidere melioribus solitus, alienis felicitatibus

tibus æmulus, alienis virtutibus semper inuidus. Cui vnquam non detraxisti? Quem non lacerasti? Cuius non exprobrasti vitam? Cuius non iactasti infamiã? Inconstans, infidus, auarus, tenax, sterilis, inhuman⁹, infructuosus. Non est in te vlla misericordia, cecidisti in concupiscẽtia seculi, defluxisti in cupiditatibus mundi. Flagras in terreno amore, congeris res perituras, nescis expleri cupiditatis tuæ sitis: nouis te quotidie peccatis inuoluis, nouis facinoribus vetera auges, non diluis scelus, sed dilatas: nec satias vnquam flammam libidinosæ concupiscentię. O te infelicem, nõ te pudet per multas aspergi libidines? Corruptor, luxuriosus, adulter, si in flagitio perseueras. Heu quã diu, quousq;, quẽ ad finem te trahet tam effrenata luxuria? Iam tandem peccare quiesce: iam tandem desine ab scelere: aliquando mores malos cõmuta in melius. Noli diu errare miser: pone peccati finem: pone legem nequitię: habeat culpa modum: habeat iniquitas terminum. Delictorum tuorum considera magnitudinem: culpas tuas saltem vel verberatus agnosce.

HOMO.

Heu me, heu infelicem me, heu miserum me: nesciebam quod pro mea iniquitate percutior: ignorabam quod pro meo merito iudicor: qđ istud iudicium de mea fuit iniustitia. Tu mihi manifestasti, tu mihi indicasti, tu mihi notum fecisti. Per te cognoui quod nesciebam, iam pro certo scio, iam non me latet, manifestum mihi est satis, mihi est cognitũ, perpẽsum mihi est satis, occultũ iã mihi non est, iã nõ est mihi ambiguum, iã non est mihi absconditum.

RATIO.

INde est homo, inde omnis ista calamitas: inde omnis ista acerbitas: inde ista crux: inde ista pœna: inde ista crimina. Ex te natæ sunt causæ peccatorum tuorum. non ex alio casu, nõ ex quolibet euentu, nõ ex quolibet fortuitu. Iste languor propriæ culpę est, ista ægritudo proprię iniquitatis est. An aliter tibi videtur? an aliter deputas? an aliter existimas? an aliter sentis? an aliter iudicas?

HOMO.

NIhil sanè, nihil prorsus, nihil penitus, nihil omnino, nihil habeo quod contradicam: cedo veritati, negare nõ possum, fateor esse verum. Quis hoc dubitat? quis istud ambigit? quis istud negat?

RATIO.

SI ita est, si certum habes, si perpensum est, si exploratum est, aufer à te iam vitium: crimen remoue à te, à vanitatis te malo coërce: à vitio & peccato te retrahe: fuge iam vitæ maculam, fuge turpitudinem vitæ, puritate vitæ, maculas veteres ablue.

HOMO.

BEne dicis, bene doces, bene instruis, bene admones, bene suades, bene instituis: & ego optabam à peccati nexu resolui, cupiebam à consuetudine mala retrahi, desiderabam à vitio & peccato recedere, quærebã vsum nequissimum superare: sed heu difficile est prauam consuetudinem vincere. Fatuus vsus vix aboletur, assidua consuetudo in naturã conuertitur, assiduo vsu iuuatur vitium. Animus sceleribus adstrictus, diuelli ab eis vix põt. Tanta sunt meã

vitia,vt vix elui possint: vix credo peccata mea vllo spatio temporis exolescere. Vltro me miserum antea vitiaui spontaneo me dudum studio pollui,proprio me prius arbitrio perdidi, propria volũtate me maculaui. Bonus eram,sponte mea ad peccatum delapsus sum. Liber eram: sponte mea factus sum debitor mortis. Infelix ego peccatum spõte mihi primus ipse paraui: ego amplius occasionem peccandi amplexus sum. nam peccati vsu adstrictus detineor:mala consuetudo me sępe grauiter implicauit. Lõga cõsuetudo in me ius sibi & legẽ fecit. Consuetudine peccandi quando nescio, sic delinquo: peccati vsum qñ non opto,incurro. Volo agere bonum: sed desideria consueta non sinunt. Prauo vsui contraire nitor,sed carnis desiderio aggrauor. Ad iustitiam me amor erigit,sed ad peccatum consuetudo constringit.

RATIO.

Relucta contra prauam consuetudinem, contra consuetudinem peccãdi tota virtute repugna. Vince vsum carnalẽ etiam cum dolore quamuis:cum difficultate perniciosam cõsuetudiuem vince. Quamuis cum dolore vsui malo resiste, propone tibi aduersus præsentis carnis ardores, futuri supplicíj ignes. Superet æstum libidinis, recordatio æterni incendij. Memoriam ardoris gehennę, ardor metus excludat. Luxuriã fornicationis, pœna grauioris supplicíj vincat. Fortior dolor, dolorem minorem exuperat:patiẽter leuiora portabis, si grauiora fueris recordatus. Versetur etiam ante oculos tuos imago futuri iudicij: præuide quæ postmodum eris passurus.

Futuram dei sententiam cogita: futura dei iudicia sẽ per te formida: terreat te gehennæ metus: terreat tẽ iudicij futuri sententia: reuocet te pœnarum terror à culpa. Vitę tuę quotidie terminum intuere: omni hora habeto mortem præ oculis. Ante oculos tuos tenebrarum semper versetur aduentus: de morte tua quotidie cogita: finem vitæ considera: recole semper diem mortis incertum. Esto sollicitus ne subito rapiaris: quotidie dies vltimus appropinquat: vitam nostram dies quotidie aufert. Quotidie ad finem tendimus: ad mortem quotidie properamus. Ad vitæ terminum quotidie tendimus: momentis decurrentibus ad finem ducimur. Nescimus quid hodie nobis contingat: ignoramus si hac nocte animam cõditio mortis reposcat: finis noster nobis absconditus est: venturi exitus ignorantia nobis incerta est. Improuisus est mortis occursus: incertus est euentus & finis omnium. Dum nescimus repente mors venit: dum non existimamus, improuisi tollimur: dum ignoramus, repẽte subtrahimur. Timeamus ne dies illa tam quam fur nos comprehendat: ne nos turbo diuini iudicij dum ignoramus diripiat: ne nos repentinus interitus auferat: ne ignorantes subito calamitas comprehendat. Spiritus qui ad peccandum succendit, peccantem sæpe subito rapit: qui viuentes inflãmat, morientes subito deuorat: qui inflectit ad vitia, protrahet subito ad tormenta. Quantos ad pœnam mortis improuisos exitus rapuit: quanti subtracti subito deficiunt: quanti dum mori non existimant auferuntur: quanti ad mortem subito rapiuntur: quanti repente


pente ad æterna supplicia deducuntur. Aspice ergo ex alieno tormēto quod timeas: respice in alieno exitio quod pauescas. Vita foueam in qua vides coram te alium cecidisse: pericula aliena in te pertimesce: alienos casus tua fac esse pericula. Morientis vocatio, tua sit emendatio. Aliorum perditio, tua sit cautio. Retrahat te à peccato impiorum interitus: abstrahat te à culpa, pereuntium pœna: delinquentium finis te corrigat: reproborum interitus te abducat: iniquorum pœna ad salutem tuam proficiat. Quod male fecisti dum potes emenda: dum potes à vitio & peccato te reuoca: dum tempus est clama: dum datur spatiū luge: dum est licentia pœnite. Festina dum potes: plange dum adhuc anima versatur in corpore: dum viuis remediū tibi futurum acquire: priusquā te dies mortis præueniat, priusquam te profundum absorbeat, priusquam te inferus rapiat. vbi iam nullus est indulgentiæ locus, nulla pœnitentiæ patet libertas, nulla correctionis datur licentia: vbi nullus est ad confessionem recursus, ad veniam nullus regressus.

HOMO.

VErum dicis: narras mihi q̄d optimū est: informas me q̄d magis mihi expediat. Ecce scio, noui, didici istud. Illud item quæro, illud scire volo, illud nosse maxime cupio, Si est spes in confessione, si est fiducia, si est remissio, si est venia, si est indulgētia, si est locus per pœnitentiam regredi ad iustitiam.

RATIO.

EST plane, est prorsus, est vtiq;, est profecto, est proculdubio: confessio sanat, confessio iustifi-



cat, confessio peccati veniam donat. Omnis spes in confessione consistit, in confessione locus misericordiæ est. Certissime igitur crede, nullomodo hæsites, nullatenus de misericordia dei desperes. Habeto spē in confessione, habeto fiduciam, non desperes salutē, si ad meliora conuerteris. Qui enim veniam de peccato desperat, plus se de desperatione quàm de commisso scelere dānat. Desperatio auget peccatum, desperatio est peior omni peccato. Corrige igitur te, & indulgentiæ habeto spem. Depone iniustitiam & spera vitam: depone iniquitatem, & spera salutem. Nulla tam grauis est culpa, quæ non habeat veniā. Quāuis enim peccator sis, quamuis sceleratus, quāuis criminibus infandis oppressus, non denegatur tibi pœnitentiæ locus. Facile pœnitentibus diuina clemētia subuenit. Per pœnitentiam enim indulgentia datur; per pœnitentiam delicta omnia absterguntur.

HOMO.

Miserum me, spem perdiderā, fiduciam amiseram: diffideram animo, fractus fuerat animus, in desperatiōe penè conciderat animus. Iam regressus sum ad spem, iam recepi fiduciam: spem indulgentiæ iā habeo: de pietate dei spero, de bonitate dei non dubito: habitabo in spe: erexit me ad spem pietas eius: dedit mihi spem vitæ in pœnitentia. Si deus igitur respexerit, si in auxiliū mihi accesserit, si ad implendum quod cupio adiuuerit, hoc facere decreui: hoc statui: defixum hoc animo meo est: euelli hoc ab animo potest.

RATIO.

Deus

DEus tibi optata tribuat, deus votis tuis faueat, deus votorum te compotem faciat, de⁹ voluntatem tuam in bonum pficiat, deus vota tua confirmet, deus votis tuis suffragetur, omnia fauēte deo agas. Ergo age dum licet, dum sors moratur, ora: pete: non taceas, obsecra, erumpe in voce, exclama fortiter, plange iniquitates tuas, mala scelerum tuorum deplora. Quæ praue gessisti fletibus dele: quæ illicite commisisti lachrymis ablue: ploratu scelera dilui solent.

HOMO.

HEi mihi infelix anima in tantis peccatis, in tantis criminibus, in tam multis iniquitatibus qd primum plorem, quid primum plangam, quem luctum prius, quas lachrymas sumam? Non sufficit referre memoria, tantorꝫ criminū gesta. Peccata quoqꝫ mea mihi sensum doloris tulerunt: hebetudine cordis coagulatæ sunt lachrymæ, obriguit animus, nullo mœrore compungitur: anima mea in stuporem conuersa est: insensata facta est anima mea. O lachrymæ vbi vos subduxistis, vbi estis fontes lachrymarum, vbi est mœroris vnda, vbi estis lamenta? Redite obsecro, mouemini fontes lachrymarum, aspergite me fletibus, fluite super faciem meam, humectate maxillas meas, genas meas irrigate. Date mihi planctum amarum: inter omnes enim grauius corrui, inter omnes deterius: quotidie om̄ium impiorum pœnas scelere meo vinco. Tartarea tormenta vix malis meis sufficiunt. Nō est peccatum super peccatum meum: non est iniquitas super iniquitatē meam: nequi-

orem me cunctis peccatoribus penso: comparatiōe meā nullus iniquus est. Iustè pœnas debitæ infelicitatis exoluo: iustè tātis supplicijs conteror: ex meo peccato mala mihi omnia aduenerūt: deus ista in me infligit iusto iudicio: rependitur factis meis congrua vicissitudo: minus tamen retribuitur mihi quā ipse deliqui. Peccatorum meorum minor vicissitudo rependitur: plaga mea culpa mea durior inuenitur. Leuior est peccato meo pœna damnationis meæ: grauius est quod admisi, leuius quod tolero. Grauior est culpa quàm feci: minor vindicta quam perfero. Perso malum quod gessi: non est tantum quod patior. Leuior est plaga mea, pōdere peccatorum meorum. Aliud est prorsus, aliud quod amplius me affligit: q̊d me magis contristat, quod me magis conturbat, q̊d me magis terrificat: cui simile malum nullum est: cui incomparabilis est omnis pœna: quod omnibus supplicijs antefertur: quod antecellit omnia tormenta: quod exuperat omnia mala.

RATIO.

HEu me anima, quid est quod tam multū metuis, quid est quod te magis corripit, quid est quod amplius ad mœstitiam te impellit, quod amplius reformidas, quod amplius metuis?

HOMO.

MEtuo diem iudicij, metuo diem tenebrarū, diem amarum, diem durum: perpendo quidē malum quod tolero, sed amplius quod restat formido. Lugeo quæ in hac vita iam patior: sed post hanc ne grauiora patiar pertimesco. Sententiam licet iam

tolerē

tolerem in pœna, tormenta tamen gehennæ formido ex culpa. Iam pœna præsens me laniat, sed futura magis conturbat. Grauia sunt quæ sustineo: grauiora in perpetuum timeo. De præsentibus quidem pœnis doleo, sed de futuris amplius ingemisco. Succurre mihi deus meus antequam moriar, antequam mors me præueniat, antequam me tartara rapiāt, añquam me flamma cōburat, antequam tenebræ inuoluant. Subueni priusquam ad tormenta properem, priusq̄ gehennæ ignibus deuorer: priusquam sine termino crucier. Reus enim timore iudicij tui tereor, pauore peccati iram tuam formido: immanitate sceleris examen tuum turpidus conscientia metuo. Si enim iustus vix saluabitur, vbi ego impius ero? Quid faciam dum venerit tremendi formido iudicij? Quum examen iudicij venerit, quid respondeam? Quid ero dicturus, quum ante tribunal Christi fuero præsentatus? Væ diem illum quādo peccaui: væ diē illum qñ transgressus sum: væ diem illum quando malum expertus sum. Vtinam non illuxisset mihi, vtinam non fuisset ortus super me, vtinam non apparuisset mihi. O dies detestanda, o dies abominād̄a, o dies penitus non dicenda, quæ me in hoc solum protulit: quę mihi claustra partus aperuit: quæ ortus mei ostia resera uit. Dies illa à luce in tenebras permutetur: profunda illam caligo confundat: ęterna illam cæcitas obruat: amittat temporis statum: omni memoria extinguatur: nullis digna penitus seculis memoretur. Melius mihi fuerat non esse ortum, melius non fuisse genitum: melius non fuisse in seculo procreatum, quàm

æternos perpeti cruciatus. Flete me cælum & terra, lugete me omnis creatura, plorate me om̄ia elementa, ingemiscite super me vniuersum genus: & quo potestis vitæ sensu super me lamentum effundite. Peccaui enim crudeliter: lapsus sum fortiter. cecidi grauiter: corrui mirabiliter. Nullum inuenitur peccatum cuius sordibus non sim coinquinatus: nulla sordium sentina extitit, quæ in me miseru non confluxit. Probrosus, sceleratus, flagitijs cūctis obrutus, innumerabiliter frequentaui impudicitiam fœditatis: vnde bene viuerem vltro promisi: quod pollicitus sum nunquam seruaui: semper ad peccatum meum redij: semper delicta mea iteraui: prioribus sceleribus semp deteriora cōiunxi: nunquam in melius mutaui mores: nunquam à malis factis recessi. Orate pro me ad dominum viri sancti: obsecrate pro me plebs om̄is sanctorum: implorate pro me omnis chorus iustorum: si forte misereatur mihi de⁹, si forte recipiat me, si forte deleat peccatum meum, si forte auferat iniquitatē meam, si misericordiam præstet mihi deus. Iratus est enim super me nimis, compleuit furorem suū in me, effudit iram indignationis suæ super me, ꝓpter multitudinem iniquitatis meæ: quia creuerunt auersiones, quia multiplicatæ sunt præuaricationes. Væ mihi quia consumptus sum: vę mihi quia defecit anima mea, afflicta mœrore, contrita luctu, extenuata gemitu. Quis miserebitur tui anima, quis consolabitur te, quis dabit lamentum pro te? Magna est sicut mare contritio tua, afflictio tua sicut pelagus sæuiens, dolor tuus quasi fluctus tumens. Quæ tempestas non

ingru

ingruit super te:q̄ procellæ non acciderunt tibi? Oēs moles molestiarum, omnes turbulentissimæ tempestates super caput tuum intonuerunt: plena es fluctibus, plena es tempestatibus. Vbi es custos hominum, vbi es animarum redemptor, vbi es pastor? cur spreuisti me, cur auertisti faciem tuam à me, vt quid longe factus es à me consolator animæ meæ? Reuertere iam deus meus, non me obliuiscaris in finem, nō me in perpetuum deseras, non me perdendum in potestate dęmonum derelinquas. Licet offensa sint grauia, tu autem clemens, tu pius, tu multæ miseratiōis, nullum relinquis, nullum spernis, nullum detestaris, nullum recusas à misericordia. sed vltro ferens demētiam, peccātes expectas vt redeant. Quanti enim scelerati, quanti luxurijs dediti, quanti concupiscentijs seculi saginati, bonitate tua ad indulgentiam peruenerunt. Multis non mœrentibus peccata gratis donasti: ostende & in me clemētiam tuam: pateat & mihi venia: pateat indulgentia: non abneges vni, quod plurimis est collatum. Scelera mea non defendo, peccata mea non vindico, displicet mihi quod feci, displicet quod peccaui, errorem meum confiteor, culpam meam agnosco, vocem confessionis aperio, suscipe quęso clamorem confitentis, attende vocem precantis, audi vocem peccatoris clamantis. Peccaui deus miserere mei, parce malis meis: ignosce peccatis meis: indulge sceleribus meis: sana animam meam, quia peccaui tibi. Si enim iniquitatum recorderis, quis sustinet? Ad examen tuum nec iustitia iusti secura est, Quis enim iustus, qui se dicere audeat si-

ne peccato? Quis præsumat coram te aliquid de iustitia? Nullus enim hominum absq; peccato, null⁹ mundus à delicto. Ecce inter sanctos nemo immaculat⁹: ecce qui seruierunt ei non fuerunt stabiles; & in angelis reperta est prauitas. Astra immunda sunt coram te: cæli non sunt mundi in cõspectu tuo; quanto magis ego abominabilis & putredo, & filius homīs vermis. Qui auxi quasi greges peccatum; & bibi quasi aquas iniquitatem: qui commoror in puluere: qui habito in domo lutea: qui terrenum habeo fundamentum. Memento domine quæ sit mea substantia, memento quia terra sum, memento quia cinis & puluis sum. Operi manuum tuarum porrige dexteram, cõsulæ infirmæ materiæ, succurre carnali fragilitati, patent tibi vulnera mea, coram te est ægritudo mea, tu vides quanto saucius sum & languidus, medicinam qua saner tribue, medelam qua curer impende, refice infectum vitijs, reforma corruptum peccatis, extingue in me flammam concupiscentiæ, iacula ignita diaboli me vltra non penetrent, non exardescant in me vlterius. Tu enim scis tentationes quas porto; tu scis fluctus quos patior: tu nosti tempestates quas tolero. Vbi delapsus sim, vbi defluxus sim, vbi infelix demersus sim tu scis: incurri enim negligens in ruinam: corrui incautus in turpitudinis foueam: cecidi in cœno flagitiorum: descẽdi in profundo malorum miser. Eijce animam meam captiuam ab inferis: erue ab immanissima abysso: non me concludat profundum: non mihi deneget exitum. Ecce dies metuẽdus iam imminet: iam dies vltima venit: instat limes vitæ

tæ: nil superest mihi pręter tumulum: nil superest prę ter sepulchrum. Parce mihi antequam eam: munda me antequam ab hac vita egrediar: solue priusquam moriar peccatorum meorum vincula.

RATIO.

COmmotus sum ad lachrymas tuas, ad fletus tuos compunctus sum: lamentatio tua me resoluit: lamentatio tua lachrymas mihi exegit: lamentando ad fletum me commouisti: ad lamentum tuum lachrymas fudi: ad planctum tuum lachrymis resolutus sum. Deus tibi veniam tribuat, deus culpas tuas parcendo ignoscat, peccata tua deus à te suspendat, peccata tua laxando dimittat, criminum tuorum maculas abluat, ab om̃is te mali labe detergat. Liberet te ab imminenti peccato. Age itaq; vt oportet. Age vt decet. Age vt dignum est. Age vt rectum est. vt æquum est, age vt sanctum est. Propone vlterius vt non pecces, ne vltra delinquas statue, caue culpas tuas iterare, caue mala repetere. Vitiũ ex quo te abscidisti ne reuoces, quę dereliquisti ne iteres, transacta mala ne repetas, post lapsum denuo non delinquas, non te polluas post lamentum, post pœnitentiæ luctum non redeas ad peccatum: ne denuo committas deplorata delicta, ne rursus facias quod iterũ plãgas: ne culpam pro qua veniam postulas, iterare præsumas. Inanis est pœnitentia quam culpa sequẽs coinquinat. Vulnus iteratũ tardius sanatur. Frequenter peccans, veniam vix meretur. Nihil prosunt lamẽta, si replicantur peccata. Nihil valet veniam à malis poscere, & mala denuo iterare. Persiste ergo in con-

fessione, esto in pœnitentia fortiter confirmatus. Vitam bonam quam cœpisti, tenere non deseras. Propositum bonæ vitæ conserua iam iugiter. Tunc erit perfectum opus tuum, si in finem vsq; durauerit. Solus perseuerantibus promittitur: premium perseuerantibus datur. Non est beatus qui bonum inchoat: sed qui in cessabiliter facit. Qui enim perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.

¶ISIDORI HISPALEN. EPIscopi, Dialogi primi finis.



ISIDORI HI-SPALENSIS EPISCOPI
Dialogus II. siue Soliloquia.

¶Obtestatur animam Ratio vt peccata vitet, virtutesq; sectetur.
CAP. I.



VAESO TE ANIMA, obsecro te, deprecor te, imploro te ne quid vltra leuiter agas, ne quid incõsulte geras, ne temere aliquid facias, ne repetatur malum, ne renascatur peccatũ, ne redeat iniquitas, ne recurrat malitia, ne denuo exoriatur nequitia, ne resumat iniustitia vires. Scito homo temetipsum, scito quid sis, scito cur ortus sis, quare natus sis, in quem vsum genitus sis, quare sis factus, qua conditione sis editus, ad quã rẽ in seculo sis procreatus. Memento cõditionis tuæ, esto quod factus es, qualem te deus fecit, qualẽ te factor cõdidit, qualem te creator instituit. Serua rectã fidem, tene synceram fidem, custodi intemeratam fidem, maneat in te recta fides, sit in te incorrupta confessiõis fides. Nulla te insipiẽs doctrina decipiat, nulla religio peruersa corrũpat, nulla prauitas à fidei societate auertat. Nihil temere de Christo loquaris, nihil de deo prauum vel impium sentias, nihil peruerse sentiendo in dilectione eius offendas. Esto in fide iustus. Habeto in fide recta conuersationẽ sanctã. Quẽ inuocas in fide, non abneges opere. Ab omnibus quæ RATIO

lex

lex vetat. abstine, omia quæ scriptura prohibet caue, nihil contra præceptum dei facias. Viue in bonũ nul lo adiũcto malo, bonos mores nulla cõuersatio praua coinquinet. Opera recta sinistra facta non maculent. Malũ mixtum bonis, contaminat plurima, vnũ malum multa bona perdet. Qui in vnum peccauerit scito eum omnibus vitijs subiacere. Per vnum enim peccatum multæ iustitiæ pereunt. Per vnum malum multa bona põt subuerti. In id quo delectatur corpus, animum non declines, carnali delectationi consensum non præbeas, non des animam tuam in potestate carnis, refrena mentem ab appetitu carnis. Cor tuum quotidie discute, cor tuum quotidie examina, priuata examinatione, occultorum tuorꝫ discute latebras. A cogitatione noxia custodi animam. Mẽtem tuam turpis cogitatio non subripiat. Munda conscientiam tuam à peccato. Sit animus tuus ab omni pollutione purgatus, sit mẽs tua pura, nullæ ibi sordes residеant. Sic vitium à te absterge, vt nec animo quippiam apud te remaneat. Scito te & de cogitatiõibus iudicandum. Deus conscientias iudicat, deus non solũ carnem sed & mẽtem examinat: deus iudex, & de cogitationibus iudicat animam. Quando titillat praua cogitatio, non consentias illi: quando aliquid suggerit illicitum, non ibi teneas animũ. Pœnitentia peccati suggestionem contemne. Nõ sinas eam in corde tuo manere. Quacũqꝫ hora euenerit, expelle illam: vt apparuerit scorpio, contere eum: calca serpentis caput: calca prauæ suggestionis initium. Culpam ibi emenda vbi nascit: in ipso initio cogitationi resiste, & euades

des cætera. Aduersus initiũ cogitationis certa & vinces: Caput cogitationis exclude, & cætera superātur. Si spreueris cogitationem à corde, non prorumpit in ope. Si cogitationi non cõsenseris, operi cito resistis. Quem delectatio nõ rapit, consensio sibi nõ subdit. Non enim potest corpus corrumpi, nisi prius corruptus animus fuerit. Dum anima labitur, statim caro ad peccandum parata est. Anima enim carnem precedit in crimine: nihilq; potest caro facere, nisi quod voluerit animus. Munda enim à cogitatione animũ & caro non peccat. Si enim volueris, vinci omnino nõ poteris. Audi anima quæ loquor, ausculta quæ dico, attende quæ moneo. Nulla iam immunditia pollua ris, nulla libidine maculeris. Ab omni te carnis corru ptela suspende. Ab omni carnis corruptiõe te extrahe. Luxuria in te vltra non inualescat. Libido vltra te non deuincat. Custodi à fornicatione corpus tuum, nulla vnquam carnali contagio inquineris. A fornicatione contāminari, deteriora peccata puta. Omnibus peccatis fornicatio maior est. Fornicātio vniuersa añcedit mala. Melius est enim mori, q̃ libidine macular. Melius est mori q̃ libidine fornicari. Meli⁹ est animam effundere, q̃ eam per incontinẽtiam perdere. Cõtinentia hominem deo proximum reddit: continentia hominem deo proximum facit. Vbi ista mā serit, ibi & deus permanet. Castitas hominẽ cælo iungit: castitas hominem cælo pertrahit. Castis cæli regnum promittitur, castis hæreditatem cæli suppetere. Libido vero in infernum hominem mergit: libido hominem ad tartarum mittit. Ad pœnas tartari ho

C minẽ

minẽ libido perducit. Quod si adhuc carnis molestias sentis, si adhuc carnis stimulis tangeris, si adhuc libidinis suggestione pulsaris, si animum tuum fornicationis adhuc titillat memoria, si adhuc caro impugnat, si luxuria te tentat, si adhuc libido inuitat, memoriam mortis tibi obijce, diem exitus tui tibi propone: finem vitæ tuæ ante oculos adhibe: propone tibi futurum iudicium, propone tibi futura tormenta, propone inferorum perpetuos ignes. propone gehennæ pœnas horribiles. Ora lachrymis indesinenter, ora iugiter, precare deum dieb⁹ ac noctibus, sit sine cessatione oratio, sint orationis arma assidua. Oratio non deficiat, insiste orationi frequenter, incũbe oratioui assidue, geme semper & plange, surge in nocte ad precem, vigila & ora, pernocta in oratiõe & prece, incumbe in nocturnis vigilijs. Ad modicum clausis oculis, rursus ora. Oratio frequens diaboli iacula submouet, oratio continua tela diaboli exuperat. Hæc prima est virtus aduersus tentationũ incursus, hæc prima tela aduersus hostium tentamẽta. Immundos spiritus precis expellit frequentia, immundos spiritus orationis euincit instantia, dęmonia oratione vincuntur, oratione dæmonia supantur. Omnibus malis præualet oratio. Adime quoq; tibi saturitatem panis, parsimonia tuum corpus castiga, ieiunijs & abstinentiæ inserui, pallida ora gere, aridum porta corpus, esuri & siti, abstine & aresce. Nõ potes tentationes vincere, nisi ieiunijs erudiaris. Escis enim libido crescit, ieiunijs luxuria superatur. Sequestrata saturitate, luxuria nõ dominabitur. Abstinentia enim carnem superat. Abstinentia luxuriam refrenat. Libi-

di-

dinis impetum abstinentia frãgit, libidinis virtutem abstinẽtia soluit. Siti & fame, carnis luxuriam fac interire, fame & siti, carnis lasciuiam supera. Vino quoque multum grauatur mens: vinum virus est præualens animo: vino luxuria excitatur. Vino fames libidinis enutritur. Pocula quippe, instrumenta luxuriæ sunt. Igni enim adiecto fomite, incendium maius crescit. Adiecta igni materie, plus augetur flamma. Oculi quoq; prima tela libidinis. Visio, prima cõcupiscẽtia mulieris. Mẽs enim per oculos capitur. Aspectus nanq; amoris iacula mittit: concupiscẽdo libidinem nutrit. Aspectus mẽtem illicit, animã titillat, cor vulnerat. Subtrahe igitur visum, reprime oculos à petulantia, non eos defigas in speciem carnis. Nullam ad concupiscendum aspicias, nullam hoc animo attendas vt concupiscas. Tolle occasionem peccandi, aufer materiam delinquendi. Si vis esse à fornicatiõe tutus, esto corpore & visione discretus. Corpore quippe seiunctus, à peccati intentione discedis. Circa serpentem positus, non eris diu illæsus. Ante ignem cõsistens, & si ferreus sis, aliquando dissolueris: proximus periculo, diu tutus non eris. Per assiduitatem cito peccat homo. Sæpe familiaritas implicauit. Sæpe occasio peccandi voluntatem fecit. Sępe quos volũtas nõn potuit, assiduitas superauit. Otio etiam deditos cito luxuria subrepit: vacantem luxuria, cito pręceps superat. Grauius libido vrit, quem otiosum inuenerit. Cedit autem libido rebus, cedit operi, cędit industriæ & labori. Libidinem quippe carnis, sępe labor euicit. Corpus enim labore fatigatũ, minus delectatur flagitio. Quapropter præcaue otium, non di-

ligas otium, non ducas vitam in otio. Fatiga corpus laboribus, exerce operibus quibuslibet studium: q̃re tibi opus vtile, quo animi implicetur intentio. Cum opere vaca lectioni: vaca in meditatione scripturarum: vaca in lege dei. Habeto in diuinis libris frequẽtiam, assiduitas legẽdi sit tibi, sit tibi freques lectio, sit quotidiana legis meditatio. Lectio enim docet quid caueas. Lectio ostendit quo tendas. Lectione sensus & intellectus augetur. Multum proficies quum legis: si facias tamen quod legis. Nam & si cætera bona placent, si & alia casta sunt. Si in voluntate sunt, si in voto sunt, si in bonis cunctis animus est attẽtus, si in bonis cunctis anim9 est paratus, esto humilis: esto in humilitate fundatus: esto omnium vltimus & nouissimus. Humilitate minimum te fac: nulli te pręponas: nulli te superiorem deputes. Existima omnes superiores esse tibi, quamuis summus sis. Humilitatem tene. Si humilitatem tenueris, habebis gloriam. Quanto enim humilior fueris, tanto te sequitur gloriæ altitudo.

¶De vitanda iactantia.

CAP. II.

CAue autem omnino iactantiam: caue ostentationis appetitũ: caue gloriæ inanis studium. Non te arroges, non te iactes, nõ te insolenter extollas. Alas superbiæ non extendas: elationis pẽnas nõ erigas. Nihil de te præsumas: nihil bonitati tuæ tribuas. De iustitiæ virtute nulla elatiõe superbias. De bonis factis non attollaris: de bono opere non glorieris. Descende vt ascendas: humiliare vt exalteris: ne exaltatus, humilieris. Qui eñ attollitur, humiliatur: qui

qui exaltatur, deijcitur: qui eleuatur, ꝓsternitur: qui inflatur, alliditur. De excelso grauior casus est: de alto maior ruina est. Superbia angelos deposuit. Elatio excelsos deiecit. Arrogātia sublimes humiliauit. Humilitas autē casum nescit. Humilitas lapsum non nouit. Humilitas ruinam nūquam incurrit: nunquā lapsum passa est humilitas. Cognosce homo quia deus humilis venit, quia se in forma serui humiliauit, factus obediens vsq; ad mortem. Ambula sicut & ille ambulauit, sequere exemplum eius, imitare vestigia eius. Existe vilis, existe abiectus, existe despectus, displicē tibi, despectus esto apud temetipsum. Qui enī sibi vilis est, ante deū magnus est. Qui sibi displicent, deo placent. Esto igitur paruus in oculis tuis, vt sis magnus in oculis dei. Tanto enim eris ante deum ꝑtiosior, quanto fueris ante oculos tuos despectior.

¶De recordatione peccati.

CAP. III.

POrta quoq; semꝑ verecundiā in vultu de recordatiōē delicti: porta pudorē in facie de memoria cōmissi peccati: peccati pudore oculos tuos attollere erubesce. Incede abiecto vultu humiliato ore, deposita facie. Fatiscentes artus cilicium & cinis immutet: squalentia & tabescentia membra saccus operiat: exhaustum corpus luctuosus habitus tegat, terra sit tibi cubile: stratus, humus. Puluis es, in puluere sede: cinis es, in cinere viue: semper lugens, semꝑ mœrens, semper suspiria cordis emittens.

¶De compunctione.

CAP. IIII.

Sit compunctio in corde: sint gemit⁹ crebri in pectore. Frequenter oculis lachrymæ profundantur. Dilige lachrymas. Suaues tibi sint lachrymæ. Delectet te semper planctus & luctus: tanto promptus ad lamentum, quanto fuisti pronus ad culpam. Qualis tibi fuit ad peccandum intentio, talis sit ad pœnitendum deuotio. Ita reuertere, sicut in profundū recesseras. Secundum morbum impertienda est medicina: iuxta vulnus adhibenda remedia. Grauia peccata, grandia lamenta desiderant. Nulla te res de peccato securū faciat. Nulla tibi securitatis deceptio blandiat: nulla securitas deceptū à pœnitentia suspendat. Incessanter in corde tuo spes & formido cōsistāt. Pariter sint in te timor atq; fiducia: pariter spes & met⁹. Sic spera misericordiam, vt iustitiam metuas. sic te spes indulgentiæ erigat, vt metus gehennæ semp affligat.

¶De timore.

CAP. V.

Timor enim semper emēdat: timor expellit peccatum: timor reprimit vitium: timor cautū facit hominem atq; solicitum. Vbi vero timor non est, ibi dissolutio vitæ est. Vbi timor non est, ibi desperatio est. Vbi timor non est, ibi scelerū abundantia est. In infirmitatib⁹ tuis non contristeris: in languorib⁹ tuis gratias age deo. Valere te magis animo opta q̃ corpore: valere magis mente q̃ carne. Aduersa corporis, remedia animæ fiunt. Aegritudo carnem vulnerat, mentem curat. Languor enim vitia excoquit. Languor vires libidinis frangit. Si prosperitas adriserit, non attollaris. si aduersitas acciderit, non deijciaris. Si felicitas eluceat, non sis iactās: si calamitas contige-

tigerit, pusillanimis non existas. Habeto tēperamentum in prosperis. Habeto patiētiam in aduersis. Probari te in dolore cognosce: non frangaris. Probari te in prosperitate cognosce: non extollaris. Aeq̄lis esto in omnibus. Mentem nec gaudio nec mœrore commutes. Omnia æquali iure sustine. Ad nullam insolentiam commuteris. Null⁹ te casus imparatum inueniat: nullus sit casus quem non meditatio tua præueniat. Propone tibi nihil esse, q̄d nō accidere possit. Præmeditare contra omnia futura. Futuras semper commentare miserias. In secundis meditare quo pacto aduersa feras: ne aliquid aduersum accidat, semp animo cogita. Sapientis est, periculi præuidere iactu ram. Om̄ia meditata, leuiora accidūt: expectata mala tolerabiliter feruntur. Cedit aduersus casus consilio. Prospecta res, non admittatur quum acciderit. Aduenientes impetus meditatio frāgit. Præcogitatio molestias futuras attenuat. Præuisio malorum lenit aduētum: inopinatum autem malum fortiter ferit. Acerba sunt quæ cogitata non fuerint: grauia exi stūt, in quibus improuisi incurrimus. Improuisa mala grauiter feruntur: repentinum malum cito frāgit. Quod prouisum non est, vehementer affligit. Subita maris tempestas, terrorem exuscitat: improuisus hostis male perturbat: imparat⁹ hostis facile opprimit. Om̄ia repentina, grauiora occurrunt. Et ad bona igitur & ad mala præpara cor tuum: & bona & mala pro vt tibi euenerint, tolera. Quodcunque euenerit, mente libera sustine. Si præuenerit iracundia, restringe illam: si præoccupauerit ira, mitiga eam. Tempera

furorem: tẽpera indignationem. Cohibe animi motum: refrena iracundiæ impetum. Si non potes iram vitare, vel tempera: si non potes furorem cauere, vel cohibe. Promptior esto ad suscipiendã, quàm ad inferendam molestiã. Disce mala potius tolerare q̃ facere: disce mala ferre potius q̃ referre. Esto patiens, esto mitis, esto mansuetus, esto modestus, serua patientiam, serua modestiam, serua mansuetudinem, stude patientiæ, stude mansuetudini. Despice probra illatę contumeliæ: irrisionum probra despiciendo exupera. Dissimulando, errores detrahentiũ calca: contumelias detrahentium patientia supera. sagittas cõtumeliæ, patiẽtiæ clypeo frange. Præpara cõtra asperum verbũ, tolerãtiæ clypeum: contra linguę gladiũ, patientiæ prębe scutum. Quamuis quisq; irritet, q̃uis incitet, q̃uis exasperet, q̃uis insultet, quãuis lacescat, q̃uis conuitietur, q̃uis criminetur, q̃uis ad litem prouocet, quamuis ad iurgium vocet, quãuis cõuitium dicat, quãuis iniuriam faciat, quamuis afficiat contumeliis, tu sile, tu tace, tu dissimula, tu contẽne, tu non loquaris, tu exerce silentium, iniuriam non respondeas, conuitium non retorqueas, contumeliam non repẽdas, tene silentij patientiã, tacendo citius vinces.

¶De modestia & patientia.

CAP. VI.

Disce à Christo modestiam, disce tolerantiam. Christum attende, & non doles iniurias. Pro nobis nanq; passus, reliquit exemplum. Palmis enim percussus, flagellis cæsus, sputis derisus, clauis confixus, spinis coronatus, cruce damnatus, semper conti

cuit

cuit. Magna est virtus, si nō lædas à quo læsus es. Magna est fortitudo, si etiã læsus remittas. Magna est gloria, si cui potuisti nocere, parcas. Quando enim cõuitiaris, propter peccata tua contingit tibi. Quãdo iniuriaris, mala tua id faciunt. Quicquid tibi contingit aduersi, pro tuo peccato euenire scias. Consideratione iustitiæ dolorem tempera. Leuius portabis, si pro q̃bus inferuntur, intenderis. Quum ergo derogatur tibi, tu ora: quum maledicitur, tu benedic. Maledicenti benedictionem oppone: irascentem patientia delini: blandimento iracundiam furentis dissolue: vince nequitiã lenitate: vince bonitate malitiam. Inimicos pacis om̃ino de ista placa: mala aliorũ tuo bono exupera. Tranquilla & iã mente illatas contumelias prode: aperi tranquillo corde dolorẽ iniuriæ. Vulnus quamuis graue sit, apertum euaporat. Valde autem comedit vulnus inclusum. Quanto enim magis id tegis, tanto maxime anges. Aperi hoc grato animo, & non te excruciat.

¶De indulgentia. CAP. VII.

SI contristaueris in aliquo fratrem, satis fac illi: si peccaueris in eum, age pœnitentiam coram illo. Si offenderis quenquam, repropitia cum prece. Perge velociter ad reconciliationem. Offensioni tuæ cito veniam postula. Non dormias, nisi reuertaris ad pacẽ: nec requiescas, nisi recõciliatus fueris fratri. Reuoca cum celerrimo dilectionis affectu: reuoca cum humilitate ad gratiam. Humilia te illi: affectu p̃sterne: supplici animo veniam deprecare. Petenti quoq; tibi, veniam libenter indulge: poscenti indulgentiam

placanter dimitte. Reuertētem statim amplectere: redeuntem, confestim benigna suscipe charitate. Dimitte vt dimittatur tibi: ignosce vt ignosci tibi possit. Peccanti in te, non retribuas secundum culpā: sciens quia & in te futurū est iudicium. Non enim habebis indulgentiam, nisi dederis. Etsi ille non supplicet, si sibi dimitti non postulet, si deprecādi humilitatem non subeat, si peccatum suum mala conscientia non agnoscat, tu relaxa ex corde: tu dimitte ex animo: tu gratis indulge: tu veniam propria voluntate concede. Dolorem cordis non reserues: dolorē animi non retentes. Aufer à corde fraternam offensionem. Alienæ nequitiæ non serues dolorem. Odium enim à regno dei hominem separat, à cælo subtrahit, à paradiso eijcit. Odium nec passione adimitur, nec martyrio expiatur, nec sanguine fuso deletur. Quid zeli referam ignem? Inuidia cuncta virtutum germina cōcremat: inuidia cuncta bona ardore pestifero deuorat: inuidia anīæ tinea sensum comedit. Pectus vrit, mentem afficit: cor hominis quasi quædam pestis depascit. Occurrat igitur contra zelum bonitas. Aduersus inuidiam charitas præparetur. De bono alterius non doleas: de alterius profectibus non tabescas. Nullius prosperitate lacereris, nulli' felicitate crucieris, nullius inuidentiæ facibus agiteris. Pacem ama, pacem dilige, pacem cum omnibus retine, omnes in mansuetudine & charitate amplectere. Proba te ampli' amari, q̄ ipse amaris. Non sis in pace inuidus, non sis leuis in amicitia, retine semper vinculum constantiæ, odientes ad pacem inuita, discordantes ad concordiā reuoca,

uoca,

uoca, diſſidentium corda ad pacem cōcilia. Prōptus eſto in affectu, affabilis in ſermone: grato animo appare ad omnes: nullus exiſtat ſermo iurgiorum, qui concordiam diuidat. Fuge rixas: vita lites: caue contentiones: tolle occaſionem litis. Litem deprime: viue ſemper in pace. In nulla cauſa contendas: in nulla actione decertare ſtudeas.

¶De vitanda contentione.

CAP. VIII.

Contentio contradictionem exigit: contentio lites parit: contentio rixas gignit: contentio faces odiorum accendit. Pacem cordis cōtentio extinguit: concordiam contentio rumpit. Si ceciderit inimicus tuus, noli gratulari: in ruina aduerſarij noli extolli. Non læteris ſuper inimici interitu, ne ſuperueniant in te ſimilia: ne forte conuertat deus ab eo in te iram ſuā. Qui enim gaudet inimici caſu, cito incidet in illum. Sit magis erga humiliatum humanus affectus: ſit erga deiectum compaſſionis intuitus. Delectet te dolor ſuper eum qui afflictus eſt. Condole in alienis calamitatibus: ſatiare fletibus in alienis mœroribus. Non ſis durus, non ferreus, non ſint tibi dura præcordia. Sic alienam miſeriam tanquam tuā luge. In tribulatione alterius, & tu eſto triſtis. Cū plangentibus plange: cum flētibus fle: cum lugentib⁹, mētis affectum coniunge.

¶De imitandis bonorum exemplis.

CAP. IX.

IN omnibus actionib⁹ tuis, in omni opere tuo, in omni conuerſatione tua, imitare bonos: æmulare

ſan

sanctos. Habeto ante oculos exempla sanctorum: exempla iustorum imitando considera. Exempla sanctorum propone tibi: sint tibi patrum exempla disciplinæ imitamenta. Intende ad bene operãdum virtutes sanctorum: intende ad bene viuendum documenta iustorum. Nullum vitæ tuæ scandalizet infamia: nullum opinio contristet aduersa. Disce bono flagrare præconio: habeto testimonium bonum: custodi bonam famam tuam: nullis fœtoribus obscuretur: nullis laceretur obprobrijs. Laceratio eñ, opinionis bonæ iacturam facit.

¶De vitanda inani gloria.

CAP. X.

Caue autem gloriam popularem: desine te iactare in adulantium oculis. Non sis circumflatus vento fauoris: contemne fauores: contemne laudem popularis fauoris. Esse magis bonus quã videri stude. Non exquiras si quis te extollat, aut si quis cõtemnat. Nec fauor te seducat, nec vituperatio frangat. Qui laudem non appetit, nec contumeliam sentit. Si contemnis laudem, facile & vituperationẽ reijcies. Non ideo te bonum æstimes, si bonus prædiceris. In lingua aliena, cõscientiam tuam interroga. Discerne te tuo non alieno iudicio: nec ex aliorum sermone, sed ex tua te mente metire. Nemo magis scire potest qui sis sicut tu qui conscius tui es. Quid eñ prodest dum malus es, si bonus prædiceris? aut quid boni laus pertinet ad rem si laudes? Quapropter vita simulationem, vita fictionem. Obscuriori veste nõ simules sanctitatẽ. Qualis haberi vis, talis & esto, pro

fessũ

fessionem tuam,& habitu & incessu demonstra. Sit in gressu tuo simplicitas: i motu puritas: in gestu grã uitas: in incessu honestas. Nihil dedecoris, nihil lasciuiæ, nihil petulãtiæ, nihil insolentiæ, nihil leuitatis in incessu tuo appareat. Animus enim in corporis habitu apparet. Gestus corporis, signum est mentis. Corporis gestu animus proditur. Incessus ergo tuus imaginem leuitatis non habeat: incessus tuus, alteri⁹ ocũlos non offendat. Non prębeas de te alijs spectaculũ: non des alijs de te obtrectandi locum. Vita malos, caue iniq̃s, fuge improbos, sperne ignauos: fuge turbas hominum, maxime eius ætatis qui ad vitia proni sunt. Bonis te coniunge: bonorũ consortium appete: bonorũ societatem require. Si fueris sotius conuersationis, eris & virtutis eorum. Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit: qui cũ stultis, stultus est. Similis em̃ simili coniungi solet. Periculosum est vitã cũ malis ducere, periculosum est cum his qui prauæ voluntatis sunt, sotiari. Melius est habere malorũ odium, q̃ consortium. Sicut multa bona habet communis vita sanctorũ, sic plurima mala sotietas affert malorũ. Qui em̃ tetigerit immundũ, coinquinabitur. Claude & iã aures tuas ne audias malum. Respue sermones impudicos. Fuge inhonesta verba: nulla aures tuas sermonum impudicitia subrepat. Vanus sermo cito polluit mentem: & facile agitur quod libenter auditur. Nihil ex ore tuo quod impedire possit procedat: nihil quod non expedit, sonus vocis erumpat. Hoc procedat ex labijs, quod aures non polluat audictis. Cauenda est verborũ obscœnitas: fugienda est turpitudo

tudo

tudo sermonis. Sermo vanus, vanæ conscientiæ index est. Mores hominis lingua pandit: & qualis sermo ostenditur, talis & animus comprobatur. Ex abundantia enim cordis, os loquitur. Ab otioso sermone compesce linguam: caue à fabulis ineptissimis. Aniles fabulas non requiras: inania verba non garrias. Retice verbum quod non ædificat audientes: sermo otiosus non erit absque iudicio. Vnusquisque rationem redditurus est sermonum suorum. Ante vniuscuiusq faciem sua verba stabūt. Qui otiosa verba non reprimit, ad noxia cito transit. Qui minora spernit, in maximis facile proruit. Minor nanq; culpa, maiorem generat. Paulatim increscunt vitia: & dum parua non cauem⁹, in magnis prolabimur. Minima igitur vita, & ad maiora non peruenies. Parua sperne, & in deterius non incides. Ea quæ loqueris, grauitate & doctrina digna existant. Sit sermo tuus irreprehensibilis: sit expectationi audientium vtilis. Stude nō quod loqui libet, sed quod oportet. Discerne quid loquaris, quid taceas: & in loquendo & in tacēdo peritus esto. Multum ante delibera quid dicas, ne reuocare nō possis quod dicis. Fuge casus linguæ: lingua tua non te perdat. Tolle insidiāti occasionem. Non pateat inimici iaculis os tuum. Nō loquaris q̄d excipiat aduersarius. Amicum habeto semper silentium. Pone cudodiam ori tuo: Labijs tuis signaculum præbe. Oppone linguæ tuæ claustra silentij: circumclude linguam munitione custodiæ. Attende opportunitatem loquendi: tempus proferēdi sermones inquire. Scito quo tempore loquaris: considera quādo di-

dicas. Tempore congruo loquere: tempore congruo tace. Tace vsquequo interrogeris. Non loquaris nisi interrogatus fueris: non dicas prius quàm audias. Interrogatio os tuum aperiat. Sint verba tua pauca: tolle verbositatem sermonis superflui. Loquendi modum non excedas, ne immoderatione linguæ incurras periculum. Multiloquia non effugiunt culpam: multiloquium non declinat peccatum. Fluui⁹ exundans, nõ cito colligitur. Vltra modũ flatus maris periculum parit: Imbrium nimietas, periculũ suscitat. Linguosus homo imperit⁹ est. Sapiens paucis vtitur verbis. Breuem sermonem scientia facit. Multum loqui stultitia est. Vox enim insipientis, in multiplicatione sermonis. Maneat igitur in verbo mẽsura, in sermone sit statera. Semper verba tua sint moderata: modum loquendi non trãseas. Abscinde & à lingua tua vitium detrahentium. Alienam vitam non laceres. De alieno malo os tuum non coinquines. Nõ detrahas peccanti, sed condole. Quod in alio detrahis, in te potius pertimesce. Detractio graue vitium est. Detractio graue peccatum est. Detractio graue crimen est. Detractio grauis damnatio est. Hoc omnes reprehendunt. Hoc omnes vituperãt. Hoc fœdi⁹ nihil est. Hoc summę turpitudinis est. Canum mos est lacerare: canum, linguas exercere: canũ dente pestifera mordere. Soli canes obtrectare nouerunt. Qñ alijs detrahis, te discute: quando alium mordes, tua peccata redargue. Si vis detrahere, ad tua te pctã retorque. Nõ alterius delicta, sed propria cerne: Vitia tua, non aliena intende. Nunquam detrahes, si te bñ perspexeris.

De tua igitur correctione esto sollicitus: de tua salutē & emendatione esto attent⁹. Detrahentes non audias: susurrantib⁹ auditum non p̄beas. Pari reatu detrahentes & audientes tenētur. Vtrisq; simile discrimen impendit, & qui detrahentem audit, & huic qui detrahit. Qđ ad te q̄q; nō pertinet, noli q̄rere: q̄d inter se loquunt hoīes, cognoscere nunq̄ desideres. Noli q̄rere quid quisq; dicat vel faciat. Euita curiositatem: omitte curam quæ ad causam tuam non pertinet. Nulla curiositas animum tuum capiat: nulla te cōcupiscentia detestandæ curiositatis subripiat: nec oblitus tuorum morum, alienos perquiras: tanta cura corrige vitia tua, quanto studio perspicis aliena. Om̄e quoq; genus mendacij summopere fuge: nec casu nec studio loq̄ris falsum: nec vt præstes, mētiri studeas: nec qualibet fallacia vitam alicuius defendas. Caue mendacium in omnibus: mēdacio fides tollitur, error inducitur, veritas aboletur. Nullum iustum mendacium. Omne mendacium peccatum est. Omne quod à veritate discordat, iniquitas est. Leges seculi falsarios damnant, mendaces puniunt, fallaces perimunt. Si mendacium apud homines lege damnatur, si fallacia humano iudicio plectitur, si falsitas capitali pœna conscribitur, quāto magis ante deum testem verborum & operum? Ante quem & de otioso verbo rationem vnusquisq; reddet: Ante quem & pro otioso sermone pœnas quisq; luet. Os enim quod mentitur, occidit animam: & perdes eos qui loquuntur mendacium: & testis falsus non erit impunitus. Refuge ergo fallaciam: declina mēdacium: caue falsum:

nun

nunquam mentiaris. Pure loquere: esto in verbo verax. Neminem mentiendo fallas: neminem mentiendo in mœrorem inducas: neminem mēdacio fallente decipias. Nullum circumscribas verbis: nullum argumentis verborum inducas. Non aliud loquaris & aliud facias: nō aliud dicas, & aliud animo teneas. Præbe affectum sine simulatione, sine fuco exhibe bonitatem. Prohibe etiam tibi iuramentum, tolle iurandi vsum. Ius iurandum interdic tibi: periculosum est enim iurare. Assiduitas iurandi, periurij consuetudinem facit: iurādi vsus, periurium facit. Sit in ore tuo, est: sit in ore tuo, non est. Veritas iuramento non indiget. Fidelis sermo sacramenti retinet locum. Firma etiam sit sacramenti tui fides. Fac bonum quod spopondisti. Non sis in verbis facilis, & in opere difficilis. Coram deo facile aliquid nō promittas: sine consideratione virium nihil præsumas. Quod non potes facere, non pollicearis. Multū deo reus eris, si non reddas quod voueris. Displicēt deo, qui vota sua nō explent. Inter infideles computantur, qui quod vouerunt, non impleuerunt. Melius est enim non promittere, quàm fidem promissionis non soluere. Melius est non vouere, quàm post votum promissa non reddere. In malis autem promissis rescinde fidem: in turpi voto muta decretum: quod incaute vouisti non facias. Impia est promissio quæ scelere adimpletur. Verbum iniquum, nec in corde tuo dicas. Verbum malum, nec silentio abscondi putes. Omne verbum absconsum non celabitur. Pāditur enim in manifesto, quod in occulto depromitur. Quod intus a-

gis vel dicis, palam positum puta. Lapides enim quibus conscijs loquimur, non celabunt: & ipsi parietes quod audierunt, non tacebūt. Si homines tacent, iumenta loquuntur. Ita ergo peccatū declina, quasi celare nō possis. Ibi pecca, vbi deum esse nescis. Nihil celatur ante deum: videt occulta, qui fecit abscondita. Diuini enim iudicij eris re⁹, quamuis sis humanis absconditus. Deus vbiq; præsens est. Spiritus eius totum implet: maiestas eius omnia penetrat elementa. Cuncta suæ potentiæ attingit præsentia. Extra eum locus non est. Cognitioni eius nihil occultum est: omnia secreta vis virtutis eius irrumpit. Nulla occulta sibi latere patitur: nullis obicibus vt non penetret, impeditur. Ipse cogitationes nouit, ipse cor inspicit: quod intus agitur aut latet, ipse videt. Quod intus disponitur, ipse comprehendit: etiam quod homo in se ignorat, ille nouit. Nemo potest etiam semetipsum effugere. Et si te nō damnat publica fama, condemnat tamen propria conscientia. Nulla pœna grauior conscientia. Vis autem nunquam esse tristis, bñ viue. Secura cōsciētia, tristitiam leuiter sustinet. Bona vita gaudium semper habet. Cōscientia autem rei semper in pœna est. Reus animus nunquam securus est. Mens enim malæ conscientiæ, proprijs agitatur stimulis. Si enim in bono permanseris, tristitia elongabitur à te. Si in iustitia perseueraueris, tristitia non occurret tibi. Nec plaga nec mors te terrebit, si bene & pie vixeris. Consilium autē & opus tuum semper ad deum conuerte: in omni opere tuo dei auxilium posce: omnia diuinę gratię, diuino dono ascribe. Nihil

hil meritis tuis attribuas: in virtute tua nihil præsumas: in audacia nihil ponas. Vis autem virtutes tuas augere? Prodere noli. Occulta virtutes pro elatione. Absconde bona facta pro arrogantia. Fuge videri, quod esse meruisti: quod manifestãdo potes amittere, tacẽdo custodi. Vitia vero cordis tui reuela. Prauas cogitationes ilico manifesta. Peccatum enim ꝓditum cito curatur: crimen autem tacendo ampliat. Silentio culpa crescit. Si patet vitium, fit ex magno pusillum: si latet, fit ex minimo magnum. Si tegitur, maius creditur esse malum. Malum autẽ cauere, potius quàm emendare oportet. Melius est vt vites vitium, quàm vt emendes: ne forte quum incurreris, reuocare non possis. Vsus enim difficile vincitur: cõsuetudo vix superatur: quod inoluerit, non facile tollitur. Ancipitem diu delibera sententiam. Ante factũ cogita diu. Ante opus præmeditare diu. Matura consilium, vt perficere possis quod vis. Quod vis agere, diu exquire. Diu proba & sic age: quum diu cogitaueris, tunc fac quod probaueris. Nihil ex præcipitio magnum: consilij mora melior est. In rebus autem certis, bene agẽdi tarditas remoueatur à te: tolle moras: in crastinum nihil differas. In bonis dilatio nocet. Id quod expedit, differre impedit. Absit in bonis remissa segnities: absit negligentia torpens. Vitium pigritiæ procul sit. Vitio cito capiantur inertes: per torporem enim vires & ingenium defluit. Negligentia & torpor dissoluit animum. Natura obscuratur desidia. Desidia frigescit ingenium. Torpor enim exuperat sensum. Hebetudo scientiæ lumen extinguit: so-

 lertia

Tertia autem meliorem reddit. Peiorē facit negligētia sensum. Desidia obtūdit segnitiem: industria acuit. Excellentior fit natura doctrina: ardentius fit ingenium subiuncto studio: tardiora enim ingenij, studijs acuuntur. Torporem naturæ industria excitat: sensus tarditatem assiduitas acuit. Exercitatione proficit sensus: experientia enim plus scitur. Sæpe ex consuetudine, natura effecta est: sæpe natura consuetudine superatur. Assiduitas enim mores facit: iugis vsus in naturam se vertit. Oīa vsui cedunt: vsui oīa parent. Res ita se agit, vt vsus erit. Quod cum difficultate cœperis, per vsum cum voluntate perficies. Nihil sapientia melius, nihil prudentia dulcius, nihil scientia suauius, nihil stultitia peius, nihil insipientia deterius, nihil ignauia turpius. Ignorātia mater errorum est: ignorātia vitiorū nutrix est. Peccatum magis per ignorantiam præualet: ignorantia enim quid sit culpa dignum, non sentit. Ignorantia nec quando delinquit agnoscit. Per imperitiam nanq; multi peccāt. Insipiēs assidue peccat: indoctus enim facile decipitur. Stultus in vitia cito delabitur. Prudēs autem cito deprehendit insidias. Celerius errores agnoscit. Noxia non vitamus, nisi per sapientiam. Sapiens oīa prudenter examinat. Inter bonum & malum, sapiens intelligēdo dijudicat. Summum bonum est scire quid caueas. Summa miseria est nescire quo tendas. Dilige igitur sapiētiam, & manifestabitur tibi. Accede ad illam, & appropinquabit tibi. Assiduus esto illi, & instruet te. Disce quod nescis, ne doctor inutilis inueniaris. Antea esto auditor: postea doctor. Per disciplinam

nam nomen Magistri accipe. Bonum quod audieris dic: bonum quod didiceris doce. Discendi & docendi non contemnas studium. Scientiam quã aure concipis, ore effunde. Sapientiam cum cæteris impertis, tibi magis hanc auges. Doctrina quanto amplius data fuerit, tanto magis abundat. Sapientia dando largior fit, retinendo minoratur. Largiendo redundantior est scientia: & dũ plus confert, plus abundat. Verbum tamen præcedat ĩ opere. Quæ ore promis, opere adimple: quę verbis doces, exemplis ostende. Esto nõ solum magister, sed & imitator virtutis. Si doces & facis, tunc gloriosus à deo eris. Non enim satis est laudare quod dicis, nisi dictis facta coniunxeris. In doctrina ipsa, ab humana laude te tempera. Sic instrue alios, vt te custodias. Sic doce, vt hũilitatis gratiam non amittas. Caue, ne dum alios docendo erigis, ipse laudis appetitu demergaris. Quum autẽ doces, noli verborum obscuritate vti. Dic vt intelligaris: ne simplicibus loquendo displiceas: nec prudentes offendas. Iuxta sensum audientis, erit sermo doctoris. Secundum mores est impartienda doctrina: iuxta vulnus adhibenda remedia. Variæ voluntates, diuersam disciplinam desiderant. Vnusquisq; secundum professionem suam docendus est. Inspicienda est varietas personarum: & quemadmodum erudias, tracta. Communia omnibus, secreta perfectioribus loquere. Aperta cũctis, operta paucis annuntia. Quædam enim plurimis, quædam paucis sunt differenda. In omni tempore paratus esto ad instructionem. Nullum tempus sit vacuum quo non ædifices:
 nul

nulla hora prætereat qua doctrinæ studium nō conferas. Verba bona aperte & constanter p̄dica: nec erubescas loqui quod nosti defendere. Quod deesse tibi scientiæ sentis, quære ab alijs. Collatione enim obtecta clarescunt: conferendo, difficilia aperiuntur. Nulla autem tibi sit curiositas discendi latentia. Caue indagare, quæ sunt à sensibus humanis remota. Prætermitte quærere secretum, quod scripturæ autoritate non didicisti. Nihil vltra quàm scriptum est quæras: Nihil amplius perquiras, quàm diuinæ literæ prædicant. Scire non cupias, quod scire non licet. Curiositas, præsumptio periculosa est: curiositas, dānosa peritia est. In hæresim prouocat: in fabulas sacrilegas mentem præcipitat: in causis obscuris reddit audaces: in rebus ignaris facit præcipites. In disputatione autem tolle certamen: tolle pertinacem vincendi defensionem. Cede cito veritati. Non contradicas iustitiæ: non contendas euacuare quod rectum est. Disputare stude, non superare. Plus dilige audire quàm dicere: pl⁹ auscultare quàm loqui. In principio audi: loquere nouissimus. Finis plus habet honoris. In omni re finis attenditur: extrema quæruntur. Melior est finis quàm principium: melior nouissimus sermo quàm primus. Venerare autem omnes scientiæ melioris ac vitæ: venerare vnumquemq; pro suo merito sanctitatis. Potiori gradu competentem reuerētiam tribue. Iuxta dignitatem redde vnicuique honorem. Superiori æqualem te non exhibeas. Senioribus præsta obedientiam: familiare imperijs eorum. Autoritati cede: obsequere voluntati: defer obsequia iusta ma

ioribus. Obedi cunctis in bonis pręceptis. Ita autem obtempera homini, vt voluntatē dei non offendas. Malum facere iussus non acquiescas: malum iussus facere non consentias. Noli in malum potestati cuiq; consentire etiam si pœna compellat: si supplicia immineant: si tormenta occurrant. Melius est mortem pati, quàm perniciosa iussa complere. Melius est ab homine iugulari, quàm damnari æterno iudicio. Nō solum factores, sed & conscios, peccato teneri obnoxios. Neq; enim est immunis ab scelere, qui vt fieret obediuit. Similis est qui obtemperat in malum, ei q agit malum. Facientem & obsequentem, par pœna constringit. A subditis venerari magis q̃ timeri stude. Subiecti plus te reuereantur q̃ metuant. Plus tibi officio dilectionis q̃ conditionis necessitate deseruiant. Talem te redde subditis, vt magis ameris q̃ timearis. Ex reuerētia enim amor procedit: odium timor affert: fidem metus tollit: affectus restituit. Timor non seruat diuturnam fidem. Vbi timor est, audacia sequitur. Vbi metus est, desperatio occurrit. Quapropter tempera austeritatem. Summa bonitate subditos rege, & non sis terribilis in subiectos. Sic eis dominare, vt tibi delectentur seruire. Et in disciplina & in modestia modum serua. Nec nimium, nec parum indulgeas: nec modicum nec satis ignoscas. Tene modum in omni opere: in omnibus retine temperamentum. Nihil intemperātius agas. Ne minus, ne nimiū aliquid: ne vltra quam oportet, ne infra. Etiam in bonis immoderatum esse non decet. Omnia mediocra vtilia: omnia in suo modo perfecta. Quæ cū tem

perantia fiunt, salubria sunt. Bona autem, immoderato vsu noxia efficiuntur. Nimietas enim omnis, in vitio deputatur. Tēperare cuncta prudētis est: ne de bono fiat malum. Perspice quoq; quid cui aptum sit tempori: quid, vbi, quando, qualiter, quàm diu facere debeas. Causas rerum & tēporum regulas inspice: singulorum operum discretiones agnosce. Diligēter distingue omnia quæ agis: qualiter bonum incipias vel peragas scito. In omni actiōe tene discretionem. In nulla re indiscretus appareas. Serui vnicuiq; virtuti congrue in tempore suo. Cum bñ distinxeris opus tuum, optime iustus eris. Quicquid bonum cū discretione feceris, virtus est: quicq̃d sine discretione gesseris, vitium est. Virtus sine discretione, vitij obtinet locum. Virt⁹ enim indiscreta, pro vitio deputatur. Multa sunt consuetudine vitiata: multa prauo vsu præsumpta: multa contra pudicos mores illicite vsurpata. Adime consuetudinem, serua legem. Vsus autoritati cedit: prauum vsum lex & ratio vincat. Quod tibi fieri vis, fac alteri: quod vis vt faciat alius tibi, hoc & tu facito illi. Talis esto alijs, quales optas esse circa te alios. Testimonio tuo nulli noceas, ad nullius periculum vocem testificationis adhibeas. Sermo tu⁹ nec animę cuiusquam, nec rebus impediat. Quod nō vis pati, non facias: quod non vis fieri tibi, alteri nunquā inferas. Non inferas alij mala, ne patiaris similia. In te serua modestiam, in alijs serua iustitiam. Tene iuris æquitatem: sequere veritatem iudiciorū. Nullum contra veritatem defendas dum iudicas. Nulli⁹ personæ affectu deflectaris à vero, pauper an diues sit.

Cau

Causam perspice non personam. In omnibus verita tem custodi. Nulla ambitiōe vel p̄tio mouearis. Munera enim semp̄ præuaricant. Cito violatur auro iustitia, cito corrumpitur munere. De iusto iudicio tēporalia lucra non appetas: pro iustitia nullum seculi præmium quæras. Iustitiam pro sola æterna remuneratiōe distribue. Qui enim p̄ntia dona affectat, futuram gloriam non sperat. Qui bona hic recipit, vlterius quod expectet p̄mium non habet. In iudicio autem nunq̄ sine misericordia sedeas. Custodi discretinem iustitiæ: noli plus iustus esse q̄ iustum est. Omne eñ q̄d nimis est, vitiū est. Impia iustitia est, fragilitati humanæ non ignoscere. Non igitur ames damnare, sed emendare potius & corrigere. Tene rigorem in discussione iustitiæ: misericordiam in definitiōe sententiæ. Iudicij examen sequatur pietas. Districtionis censum, tempet indulgentiam. Ita clemēs esto in alienis delictis, sicut in tuis: nec quenq̄ districti⁹ q̄ te iudices: nec aliter te nec aliter alios pēses. Sic alios iudica, vt ipse iudicari cupis. Dum enim indulges in alieno delicto, & tibi misereris. Quo enim iure in aliū statueris, eo iure teneberis. Qua lege, pœna, conditione quempiam iudicaueris, eadem ipse iudicand⁹ es. Lex tua te constringit. Iudicium quod alijs imponis, ipse portabis. In eo quod iudicas, condemnand⁹ es. In q̄ mensura mensus fueris, remetietur tibi & adijcietur. Oīa primum q̄re, vt cum iustitia definias. Nullum condemnes ante iudicium: nullum iudices suspiciōis arbitrio. Ante proba & sic iudica. Non enim qui ac-

ſpicione quempiam iudicare. In ambiguis iudicare, dei ſerua ſententiam. Quod noſti tuo, quod neſcis, diuino committe iudicio. Non enim poteſt cõdẽnari humano examine, quem deus ſuo iudicio reſeruauit. Interea non iudicamus, quouſque veniat dominus qui latentia producet in lucem: qui illuminabit abdita tenebrarum: qui manifeſtabit conſilia cordium. Quamuis enim vera ſint, credẽda nou ſunt, niſi quæ certis iudicijs cõprobãtur: niſi quæ manifeſto examine conuincũtur: niſi quæ ordine iudiciario publicantur. In ſummo honore, ſumma tibi ſit humilitas. Quãuis ſumm9 ſis, humilitatem tene. Quamuis ſublimis poteſtatis, in te celſitudinem reprime. Nõ te extollat honor. Pręſide humilis culmen ſublimitatis: tanto maiore humilitate conſpicuus, quanto magis dignitate prælatus. Impoſitas quoq; tibi curas, humiliter exple: traditum miniſterium mente libera ſuſcipe. Eſto obediens diuinæ diſpenſationi: volũtati ei9 contraire non audeas. Iura poteſtatis adeptæ, moderanter exerce: poteſtatis iura accepta, ordinato aio adminiſtra. Omnia non turbulento, ſed tranquillo corde diſpone. Caue honores, quos tenere ſine culpa non potes. Sublimitas honorũ, magnitudo ſcelerũ eſt. In maiore gradu maior eſt ſine dubio & pœna. Qui minor eſt, veniæ ꝓximus eſt. Potẽtes aũt potenter tormenta patientur. Iudicium enim duriſſimum in his qui præſunt, fiet. Cui multum datur, multũ ab eo q̃ritur. Cui plus committitur, plus ab eo exigitur. Honores quoq; cũ periculoſe geruntur, cito periclitatur ptãs: cito ruinã patitur. Quanto enĩ maior ho-

nor,tanto maiora pericula. Alta arbor, ventis forti⁹ agitatur. Excelsæ turres,grauiore casu ꝓcumbūt. Altissimi mōtes,crebris fulgoribus feriuntur. In potentē cito cadet inuidia:cito patet insidijs gloriosus. Gloria eñ inuidiā parit:inuidia vero pericula. Quamuis quisq; in seculi gloria fulgeat, quāuis purpura auroq; resplendeat, q̄uis cultu pretioso redimitus emineat, q̄uis sit multitudine præmunitus,q̄uis excubantium armis protectus, q̄uis innumeris obsequentium cuneis constipat⁹, q̄uis agminibus tut⁹, semper tamen in pœna est:semper ĩ angustia:semp in mœrore:semper in discrimine est. In sericis stratis cubat,sed turbidus:in pluma iacet,sed pallid⁹:in lectis aureis, sed turbatus. Breuis est huius mūdi felicitas: modica est huius seculi gloria:caduca est & fragilis temporalis potentia. Dic vbi sunt reges, vbi principes, vbi imperatores,vbi locupletes rerum,vbi potētes seculi,vbi diuites mundi? Quasi vmbra transierunt: velut somnium euanuerunt. Quæruntur & nō sunt. Diuitiæ vsq; ad periculum ducunt:diuitiæ vsq; ad exitium pertrahunt. Multi propter opes periclitauerunt: multi propter diuitias in discrimen venerunt. Multis exitiales fuerunt diuitiæ:multis mortem generauerunt opes. Nunquam mentis requiem habet, qui curis terrenis se subdit. Solicitudines enim rerum,mentem conturbant. Curæ rerū mentem exagitant. Potentia solicitudinis,nunquam caret angustijs. Si ergo vis esse quietus,nihil seculi appetas. Semper requiem mentis ha-

traxeris. Diuitiæ nunquam sine peccato acquirūtur. Nullus res terrenas sine peccato administrat. Valde rarum est, vt qui diuitias possident, ad requieta tendant. Qui curis terrenis se implicāt à dei amore se separant. Qui in rerum amore defigitur, in deo nullatenus delectatur. Curæ enim rerū, ab intentione dei auertunt. Nemo potest amplexari dei gloriam simul & seculi: nemo potest amplecti Christum simul & seculum. Difficile est cælestibus & terrenis curis pariter inseruire. Difficile est deum simul & mundum diligere. Vtraq; simul æqualiter amari non possunt. Propter deum ergo renuntia omnibus: à secularibus curis te propter deum suspende. Sine impedimento seculi, deo deseruire stude. Nulla te cura à dei amore subtrahat: nulla te solicitudo rerum, ab intentione dei suspendat. Abijce à te quicquid impedire bonum propositum potest. Esto mortuus mundo, & mundus tibi: Mundi gloriam tanquam mortu⁹ non aspicias: tanquam mortuus ab affectu vitæ istius te separa. Sicut sepultus non habeas curam de seculo: tanq̃ defunctus ab omni terreno te priua negotio. Contemne viuēs q̃ post mortem habere non potes. Quod habes, hoc habeto ad misericordiam: suffragetur virtus tua egeni inopiam. Si quem positum in necessitate cognoueris, si quē ad inopiam redactum, si quem direptione alicuius exinanitum, si quem oppressum, si quem humiliatum, nullum contemnas: nullum despicias: vacuum nullum dimittas. Nullus à te tristis abeat: nemo à te confusus abscedat. Omnibus communica: omnibus tribue: omnibus præbe. Nō eligas

cui miserearis, ne forte prætereas cũ qui meretur accipere. Incertus es pro quo magis placeas deo: nescis pro quo tibi maior fructus iustitiæ pręparetur. Quicquid tribuis, cum affectu distribue: quicquid largiris cum humilitate largire. Præbe misericordiā sine munere: prębe eleemosynam sine tædio. Maior sit beneuolentia, quam quod datur: maior gratia quā quod impenditur. Tale erit opus tuum, qualis fuerit intentio tua. Quod enim affectu bono dispēsatur, hoc accipit deus. Qui autem cum tædio dat, mercedem perdit. Qui cum tristitia manum porrigit, fructũ remunerationis amittit. Nõ est enim misericordia, vbi nõ est beneuolētia. De tuis iustis laborib⁹ ministra pauperibus. Non auferas alteri, vnde alij tribuas: nec te misericordem ostendas, alieno de spolio. Nihil proficit, si alterũ inde reficis, vnde alium inanem facis. Cõdemnat miseratio ista, nõ propitiat. Talis misericordia, peccata non purgat, sed ampliat. Bonum quod facis, misericordiæ causa, non iactantiæ facito. Nihil studeas propter laudem: nihil propter temporalem opinionem: nihil propter famam: sed propter vitam æternam. Quicquid agis, pro futura age mercede. Aeternæ remunerationis expectatio te teneat amplius: nec quod ad hui⁹, sed quod ad vitæ æternę gloriā proficit. Si hic laus quæritur, illic remuneratio amittitur. Iusti enim mercedem non hic, sed in futuro recipiunt. Futura merces, non præsens promittitur iustis. In cælo non in terra, merces promittitur sanctis. Non est expectandum, quod alibi detur. Ecce accepi

ignorantia à peccato excludat:non es iam vitæ nesciûs:non es imprudens aut ignarus. Legem quam debeas sequi,dispoſui. Cognitionem mandatorum habes:iam scis quid ſit recte viuere. Vide ne vltra offendas:vide ne deinceps bonum quod noſti deſpicias. Vide ne quod legendo reſpicis, viuendo cõtemnas. Donum ſcietię acceptum,retine. Imple opere,quod didiciſti pręceptione.

HOMO.

GRAtias ago, gratias refero, gratiarum actiones rependo,gratiarũ actiones perſoluo. Ago atq; habeo vberem gratiam. Quantas valeo,gratias celebro: quantas pro viribus poſſum gratias ago. Multa ſunt à te mihi conceſſa: multa collata: multa miſeratione ſpeciali largita. Omnia mihi placent: omnia mihi grata ſunt: omnia inſederunt animo:oĩa mihi blandiuntur:oĩa me delectant:omnia me liniunt. Quam iugiter ſatisfactionem perſoluam? quam remunerationem rependã? Quid compenſare poſſim donis tuis,niſi vt tuis præceptis vtar,tibi ſemper obtemperem,tibi pareã,tibi iubenti obediam? Tu es enim dux vitæ meæ:tu magiſter virtutis:tu es qui tanquam regula in directum ducis: qui à recto nunquam diſcedis: qui à recto nunquam auerteris. Inuentrix bonorum:magiſtra morum: indagatrix virtutum: ſine qua nihil vita hominis noſſe poteſt. Per te cunctis viuendi regula datur. Per te vitæ probitatem,ad meliorem vitam homines adducuntur. Præceptis tuis formantur animi. Si quid diſtortum eſt,

tu

tu corrigis: si quid corrigendum est, tu emendas. Nihil mihi te charius: nihil mihi te dulcius: tu mihi supra vitam meam places in secula seculorum, AMEN.

FINIS.

¶ ERRATA.

Linea 2. Epistolæ dedicatoriæ lege, ordinantiq;.
In Epitaphio car. 7. lege verendũ pro ferendum.
Item car. vltimo si libet lege, satiata pro sotiata.
B 5. fa. 1. lin. 8. lege, tenebræ pro tenebris.
C 1. lin. vlt. lege, ad tartarum pro ad terram.
C 2. fa. 1. lin. 8. lege, materie pro materiæ. Et lineã 26. lege, subrepit pro subripit.
C. 5. fa. 1. lin. 12. lege, nequitiam pro nequitia.

¶ Claruit autem Isidorus hic sub Heraclonẽ imperatore filio Heraclij. Anno. DCXXX. temporibus Sisebuti regis Gothorum in Hispania, & ob sanctissimam vitam & conuersationẽ suam catalogo sanctorum insertus est, cuius festum celebratur 18. Calen. Februa.



Superbis deus resistit, humilibus autem dat gratiam.



Parcere subiectis & debellare superbos.

